

A. D.
DOCTISSIMUM
AVTHOREM,

Verè Philosophum per ignem & aquam.

I.

TACHENIVS.

Per anagr. demptâ aspiratione

At vinces.

vel

I hac tenuis

Quis neget antiquam Chymiam, sanctumque
repertum,

Diuinū Hippocratem quam coluisse ferunt?

HAC iter ad sanctæ Naturæ arcana patescit,

Hac sine vix dignum laude parabis opus:

Hac sine nil Medicus languenti in corpore
præstat,

Hac sine nil magni Pharmacopola dabit.

I TENVIS HACCE via, Sophiæ docet illa labores

Nec labor absterreat, tetrave monstra simul?

Impiger excutias Naturæ arcana latentis,

Naturæ mystes hic docet almus iter.

Sudor in ingressu, fateor, cum tēpore VINCES.

Atque manu Hesperidum carpere pōma
datur. I I.

Ignē, et Aquā, Terrā, Chymista atque aere
prægnans,

Non poterit partum non peperisse bonum.

Quattuor hæc etenim centro cōcludit in vno,

Vulcano, ingenio, dexteritate manus.

I I I.

Chymicus arte suâ claudit medicamen in vno

Centro, à quo morbum tota cæterua fugit.

ã. iij

Quid Iuuat innumeras Medicorum audire
cateruas,

Vnica cum morbis sit Medicina satis?
Hanc vbi decumbés corpus persenserit intus
Viribus assumptis fit rediuius homo,
Ingenio hanc raro cunctos, doctissimus Otto
Artis Apollinæ lausq; decusq; docet.

I V.

Si veram referas portam Chymista, repostos
Thesauros reperis, pauperiemq; fugas,
Nec modo pauperiem, poteris quoq; pellere
morbos:

Diuini digiti qui populantur opus.
Clauem quâ portam referas doctissimus Otto
Tradit, & ingenti te instruit arte suâ.

V. Otto Tachenius

Per anagr.

O Titan huc esto!

Hactenus in tenebris Iacuerunt dogmata vera.
Umbram pro vero quid tenuisse Iuuat?
Sed nouus Adriaco qui surgit TITAN Olympo
Lumine Cimmericas discutiet tenebras,
Candidus ô quisquis veri penetralia quæris
HVC ESTO radijs TITAN vbiq; ferit.
Spargere si pergas orbitua lumina TITAN
Cantabit radians lumen vterq; polus.

V I.

Ad aureum libellum.

Quò feror? en mecum doctissime vade libelle,
Si mecum vadas non ego solus ero;
Sic mecum vadet doctissima turba sophorum,
Quos omnes paruo claudis in hoc opere.

*Profundo nature mystæ, amico candido
sic ouans applaudit.*

Nicolaus Zaffius, Med. D.

Anno quo TV IesV IVCeM. Das?